Lane Medical Library

DE

COLICAE SPECIEBUS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE II. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXLIV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

VINCENTIUS CUNOW

POSNANIENSIS.

OPPONENTIBUS:

F. LEINVEBER, med. et chir. Dr.

E. TREUTLER, med. et chir. Dd.

R. RAABSKI, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154006_0095

MATRI

CARISSIMAE, OPTIMAE, BENIGNISSIMAE,

AD CINERES USQUE SUMMA PIETATE COLENDAE

NEC NON

F. CUNOW,

AVUNCULO DILECTISSIMO MAXIMEQUE DE SE MERITO

HUNCCE LIBELLUM

GRATO ANIMO

D. D. D

AUCTOR.

LITTERATURA.

Krause, Arzneikundige Abhandlungen. I. Th.

Schoenlein, specielle Pathologie und Therapie.

Cullen, Anfangsgründe der praktischen Arzneikunst. Th. 3.

Marschall Hall, von den Krankheiten des Nervensystems.

Baumgaertner, specielle Pathologie und Therapie.

Fr. Hoffmann, system. med. ration. Hal. 1783. Vol. 7.

v. Raimann, specielle Pathologie u. Therapie.

Soemmering, Abhandlung über die schnell und langsam tödtlichen Krankheiten der Harnblase.

M. Troja, über die Krankheiten der Nieren von Spohr. 1788.

Casper, Wochenschrift für die gesammte Heilkunde. 1842.

Burserii, institutiones med. pract. Vol. IV.
Wendt, Kinderkrankheiten. 1835.
Schmidt, Encyclopaedie der gesammten Medicin.
Medicinische Praxis.

PROOEMIUM.

Cum summos in medicina honores ambientibus per leges et statuta propositum sit, ut conscribant libellum cujusvis argumenti medici eumque publice defendant, me quoque per hanc dissertationem aliquid publici juris facere consueta jubet necessitas. Id tamen, quod fere omnibus accidisse compertum est, nec a me fuit alienum, quippe in delectu anxius dubiusque haesitavi. Elegi denique hanc de colicae speciebus materiam, non quod hac de re novi aliquid habeam, sed quia differentias colicae saepe observare mihi licuit. Opusculum igitur valde mancum et imperfectum trado Tibi, L. B., spe quidem ductus dulcissima, fore, ut huic qualicunque virium exercitationi indulgeas.

MORBI DENOMINATIO ET DEFINITIO.

Colica nominatur dolor vehementissimus; sed periodice incidens, raro loci unius, sed plerumque totius abdominis, praesertim contrahens atque contorquens in regione umbilici, quo umbilicus, spasmodice contractis musculis abdominalibus, intus trahitur. Maxima ex parte dolor in regione coli sedet; incipit igitur ex hypochondrio dextro, oblique transit sub costis spuriis ad latus sinistrum.

Altiorem sedem, imprimis circa umbilicum, morbo ex jejuno aut ileo ducente originem, dolor habet. Simul aegrotantes obstructione alvi, et si dolor est vehementissimus, vomitu laborant. Hic morbus quidem secundum intestinum colon nuncupatur; sed et intestina tenuia ipsumque mesenterium et mesocolon non raro invadit. Quare veterum consuetudine, qui dolorem intestini coli colicam, ilei ileum nominabant, hos dolores nomine discernere falsum est, praesertim cum situs intestinorum tam diversus sit. Passio iliaca nihil aliud est, quam vehementissimus gradus colicae ipsius.

SYMPTOMATA GENERALIA.

In universum haec symptomata in colica reperimus: aegroti molestantur defectu appetitus sensu plenitudinis praecordii, nausea, vomituritionibus vel nonnunquam vomitu ipso, abdomen saepissime, ut in tympanitide, est inflatum maximeque sensibile, alvus obstructa, urina turbida cum ardore exinanitur, dolor nonnunquam levis, saepius valde vehemens, pulsus tum spasticam, irregularem indolem et celeritatem praeternaturalem accipere solet. Facies erubescit atque tumescit; in musculis ejusdem convulsiones leves et in toto corpore tremor animadvertuntur. Abdomen est tensum et conspici possunt haud raro in eo loci eminentes, quasi aliquod intestinum sit obstructum vel increturn; permultis in casibus autem circa umbilicum contrahitur et magna fossa hujus regionis oritur. Facile sub vehementioribus doloribus vomitus intrat, alvus modo obstructa modo liquida, singuli dolores nonnunquam brevi tempore evanescunt, sed vulgo tam celeriter recurrunt, ut in universum pro impetu uno sint habendi. Saepenumero aegroti in convulsiones et lipothymias incidunt, et pulsus fit tam debilis, ut vix tangi possit, quo in statu alvus non solum obstruitur, sed etiam partes aliae intestinorum spasmis ita contrahuntur, ut omnia sumpta per os evacuentur. Tales impetus modo nunquam denuo intrant, modo incertis, raro certis periodis revertuntur.

DIVISIO ET SPECIES.

Colica dividi potest in idiopathicam, sympathicam aut symptomaticam, in plus minusve inflammatoriam aut nervosam, in acutam aut chronicam. Invenitur modo epidemia, endemia, modo pandemia, modo sporadica. Harum specierum notio levior est, quam ut aliquid de ea scribam.

COLICA CATARRHALIS.

Oppressa transpiratione vel sudore enascitur. Aut est colica simplex et mitior, aut complicata et saevior. Simplex coryza, qua comitatur, a complicata, inflammationi conjuncta, quae saepe in cynanchen transit, distinguitur.

COLICA RHEUMATICA.

Intrat maximam partem repente sine prodromis, cum doloribus vehementissime torquentibus, lancinantibus, divagantibus, initio morbi solummodo uni loco affixis, illo progrediente in totum abdomen se extendentibus; dolores hi sunt intermittentes, cutis sicca, temperatura extremitatum minuta, pulsus parvus, spasticus, saepe filiformis. Morbus invenitur praesertim in juvenili aetate, plus apud feminas quam viros, semper ferme apud individua, ubi adest perturbatio systematis nervorum abdominalium digestioque debilitata; gignitur refrigeratione.

COLICA PLETHORICA.

Est gravioris momenti, symptomata supra commemorata, excepto statu inflammatorio, omnibus praelucente. Causae omnes fluxus suppressi, e. g. menostasia, oppressae haemorrhoides et transpiratio aliaeque hujus generis ducuntur.

COLICA FLATULENTA.

Flatus vel faecibus, spasmis aliove obstaculo intestinis inclusi, vel continuo sursum deorsumque oberrantes, multis nervis vasisque instructum canalem intestinorum ad contractiones violentas, valde dolorificas exstimulant, per angustiora ostia borborygmorum sub nomine decurrunt, aut si intestina crassa duris stercoribus valde sunt repleta, quam maxime ea dilatant. Apud multos interim abdomine minus sensibili praeditos, flatuum congestio non tam atroces quidem dolores, quam alia injucunda symptomata, per vices, maxime post usum ciborum vel leguminum crudorum producit. Aegroti persentiunt flatus sibi ad oesophagum ascendere quidem, sed ibidem haerescere, nunc ad ventriculum extensum defigi, nauseam, vomituritiones, sudores frigidos excitare, nunc ad costas, ad pulmones sedem deligere et asthma aliaque incommoda provocare. Majori tamen malo, extensaque valde nunc hac, nunc illa parte canalis alimentarii dolores exoriuntur, antequam tumor manifestus reddatur, ad hypochondrium sinistrum, ubi colon transversum in colon descendens abit, mox vero in lumbis et circa umbilicum:

hi dolores subinde remittentes, et compressione ventris aliquid moderandi, continuo tamen augescentes, frequentius revertentes, postremo tantum non fixi, omni saepe humana patientia superiores, haud dubie non in solo intestino colo, unde colicae flatulentae nomen accepere, sed omnem aliquando intestinorum per ambitum nascuntur. Sub his cruciatibus venter pertinaciter clausus, nunc in una modo, nunc et in altera regione protuberans, inaequalis, ad solum tactum sensibilior fit; nunc totus turget et plerumque e percussione tympanitice resonat. Vehementiorem colicae insultum pulsus admodum contractus, debilis, inquietudo, anxietas, virium lapsus, vultus mira mutatio, distractio, pallor, extremitatum perfrictio, sudor frigidus adnunciant. Adductis abdomini cruribus aeger adventantem lenire dolorem studet. Suppresso protinus quovis, desiderato licet, per oesophagum ructu, flatus illi saepe quidem profunde per pelvim descendere, viamque recti intestini legere videntur; sed ob alvum obstipam mox iterum superiora versus fugiunt, et sub diro lumborum, coxarum dolore, sub mictu frequenti, aquosa, ardente, vel etiam sub urina stranguriosa, fere nulla, saepe sub nausea, vomituritione vel ipso sub vomitu, singultu, aut pristinum in locum aut in alium, ad desperationem adacto ac suffocato paene aegro, cum strepitu recurrunt.

COLICA PITUITOSA.

Plerumque cum fixo dolore, praesertim hypochondrii sinistri est conjuncta. Simul aegrotanti est sensus perforans, lancinans; febris est levis; paroxysmus perdurat horas 24, tum aegri excrementa ovulis ranarum similia emittunt, quo facto

dolores leniuntur paroxysmusque finitur. Cum autem saepe revertatur, facillime in ileum transire solet.

COLICA NERVOSA.

Oritur solummodo ex irritatione provocata materiis, quibus intestina sunt repleta; obvenit in individuis ad colicam inclinantibus, nec m' .is in hominibus magna sensibilitate systematis nervosi laborantibus, ut hypochondriacis et hystericis.

COLICA BILIOSA.

Adultos et senes plerumque corripit, raro adolescentes, prae ceteris eos, qui cholerico, vel temperamento melancholico sunt praediti, et vitae sedentariae et victui lautiori, vel magis animi affectibus deprimentibus dediti: initio prodit cum molesta tensione, gravitate, pondere in hypochondriis, praesertim aliquo post cibum sumtum intervallo; deinde infert modo sensum doloris obtusi, modo acuti circa regionem ventriculi, aut praecordiorum cardialgiae instar, cum continua anxietate prope hepatis locum, internaque explicabili molestia. Tempore vero brevi, vel sponte vel ope carminativi remedii cujusvis desinit, tanquam a flatibus, alioque a victus erratu pendeat; sed die postero, si attente inspicitur album oculi, plerumque leviter flavet, atque urina apparet solito saturatior et prope rubra; imo saepe alvus dejicit multa subflava aut subviridia. Subinde malum redit, quandoque ad menses multos, et eodem modo decedit, quin aegris aut medicis timorem

incutiat, cum aliqua manifestior causa nunquam desit, in quam facile rejiciatur: donec tandem vehementius corripiat, diutiusque vexet et ictero terminetur, qui intra paucos dies ut saepe evanescit, sic etiam aut criticus, aut sympathicus contractioni dolorificae intestini duodeni haberi solet. Non diu autem hanc fallacem mentis persuasionem alere licet, nam ictero vix discusso, vel ad finem properante, dolor ex levissima quacunque causa redit cum summae distractionis sensu circa hepar, ventriculum et cordis scrobiculum, anxietate inquieta, tanto partium affectarum cruciatu et tumore, ut ne levem quidem manus tactum patiantur; cum magna pectoris angustia, nausea, vomitu, aut vomendi incitamento. Quandoque dolor ad lumbos et dorsum; quandoque ad umbilicum ac processum ensiformem protenditur, et duodenum attingit; quandoque febrim acutam cum pulsu celeri ac duro excitat et aegrotantes tam atrociter torquet, ut neque membra extendere, neque alio modo decumbere, nisi antrorsum et in ventrem curvato corpore queant. Hae colicae modo longius modo brevius trahuntur, et quemadmodum saepe initio repente invadunt, sic interdum extemplo et sine ulla turbatione momento temporis cedunt, saepius tamen lente et gradatim, subsequente semper totius corporis, aut saltem faciei et pectoris colore icterico, alvo tarda et adstricta, urina parca croceaque.

COLICA VERMINOSA.

Manifestat se doloribus circumvagantibus, praecipue in regione umbilici, qui saepissime repente intrant moxque eva-

nescunt, anxietate orta impeditaque respiratione, abdomine tenso, alvo dura, vomituritionibus, urina alba et pituitosa, pupilla dilatata. Spasmi, convulsiones saepe accedunt conjuncti cum febri hecticae simili.

COLICA STERCORARIA.

Abdomen et in hac specie est inflatum ac tensum, dolorificum, symptomata inflammationis intestinorum magis magisque elucescunt, vomitus vehemens, biliosus, qui facile in ileum mutatur, intrare solet. Pulsus est irritatus, facies calida, mutata, interdum tamen vehementi sub insultu facies extremitatesque frigidae inveniuntur et frons frigido sudore obtecta. Morbus hic saepissime obvenit in individuis aetate provectioribus, temperamenti phlegmatici, apud feminas plus quam apud viros.

COLICA EX VITIIS INTESTINORUM ORGANICIS.

Producitur non raro scirrho intestinorum, exulceratione magna, volvulo, coarctatione nimia intestinorum crassorum, induratione pancreatis, in plurimis casibus hernia incarcerata. Colica certis periodis rediens niti potest in causa occasionali, quae semper certo tempore revertit, e. c. si faeces certo tempore ad locum affectum canalis alimentarii proveniunt. Diagnosis hujus morbi maxime difficilis, morbus ipse periculosissimus, quia omnibus in hisce casibus non raro gangraena accedit.

COLICA HEPATICA.

Est sympathica et ex calculis vesicae felleae originem ducit, invadit saepius feminas quam viros, praecipue individua aetate provectiora. Donec calculi sunt parvi, etsi multi, nullam provocant molestiam, sed si ad majorem ambitum accreverunt, sensum exhibent gravitatis, si aegrotus lateri sinistro incumbit, pressionemque in epigastrio, atque obtusum dolorem in hypochondrio dextro efficiunt, interdum autem nauseam et vomitum proferunt. Maximo in gradu epilepsia, mania et alii gravioris momenti morbi exoriri possunt.

COLICA NEPHRITICA.

Excitatur calculis renum in ureteres transeuntibus; excellit doloribus plus minusve lancinantibus, longitudinem ureterum sequentibus, doloribus lumborum, horripilationibus, vomitu, torpitudine extremitatum, distractione testium usque ad canalem inguinalem, penisque ipsius retractione, spasmis et convulsionibus, urina parca, aquosa, interdum sanguine et glarea arenaque mixta.

COLICA VENENATA.

Est omnium gravissima, intrat tum repente, tum lente cum dolore constringente in regione umbilici, qui primum brevius, tum longius perdurat, et brevioribus temporis intervallis semper vehementior redit; tempore insultus abdomen

est usque ad columnam vertebrarum retractum, aegrotus cruciatur ructu vel vomitu bilis viridis, obstipatione alvi pertinacissima, quae si arte solvitur, adspectum faeces ovillis similem praebent, doloribus dorsi et extremitatum; initio pulsus est debilis, intermittens, parvus et filiformis, respiratio anhelans et anxia, cui motus convulsivi pedum et manuum associantur. Aegrotus magis magisque macie corripitur, lingua et dentes obteguntur muco bruneo, crasso, gustus dulcis, pupilla dilatata et immobilis, cutis peculiariter flavescens, sicca, haud tractabilis, sitis magna, impeditus mictus, abdomen tensum, inflatum, sub pressu nonnunquam dolorificum reperiuntur. Dolores provocant, si sunt vehementissimi, convulsiones, enteritidem; si longius perdurant, paralysin illarum partium, vertiginem, rarissime amaurosin. In sectione mortuorum reperiuntur saepenumero inflammatio membranae mucosae canalis alimentarii, aut nigrae maculae pendentes ex sanguine extravasato, aut plethora venosa vasorum subtilissimorum, intestina, praecipue colon, spasmodice contracta, vesica fellea nigra bile repleta, glandulae lymphaticae durae atque obstructae. Orfila observavit, adhibitis magnis dosibus plumbi, in interna parte ventriculi animalium membranaceum, crassum, cinereum obtegumentum, quod facile in floccos sejungi potuit.

COLICA INCOLARUM PROVINCIAE POITOU.

Adnumeratur a plurimis venenatae, sed mihi singularem speciem efficere videtur; morbus hic procreatur usu recentium vinorum acidorum, cerevisiae non bene fermentatae, acidorum mineralium et fructuum arborum immaturorum. Sed et ex

aliis causis eam nonnulli auctores deducunt, velut Stark ex arthritide, Paulus Aegineta ex constitutione epidemia.

COLICA GRAVIDARUM.

Reperitur aut conjuncta cum obstipatione alvi, aut cum diarrhoea in ultimis maxime temporibus graviditatis; facile confundi potest cum doloribus partum praesagientibus, nonnunquam revera dolores ad partum, partumque ipsum ante tempus provocare potest.

COLICA INFANTUM.

Haec fere praebet symptomata: infantes sunt inquieti, clamant, alvi excretiones dolorificae, subvirides et tam acres occurrunt, ut excoriationem ani efficiant; singultus modo major modo minor, vomitus saepe intrat facile sine contentione; graviore in morbi gradu febris cum typo remittentis observatur, infantes valde inquieti fiunt, non dormiunt, clamant, vomitus saepius redit, lingua sicca, muco bruneo obtecta, abdomen sub tactu dolorificum, diarrhoea conspiciuntur, plerumque accedunt repente virium collapsus atque sopor. Causa praedisponens in gracilitate, sit venia verbo, totius canalis alimentarii infantilis, qui omni mutatione victus facile affici potest, causa occasionalis in impletione ventriculi, lacte perpingui, refrigeratione etc. quaerenda.

His exceptis sunt admodum multae species colicae: ut arthritica, scorbutica, syphilitica etc.; hae symptomaticae nominantur et ex morbis primariis pendent.

CAUSA PROXIMA.

Causa proxima posita est in nimia sensibilitate et irritabilitate nervorum abdominalium vel totius organismi, congenita aut acquisita.

CAUSAE OCCASIONALES.

Causae occasionales sunt: mechanica vel chemica irritatio seu laesio partium intestinorum, irritantes et acres cibi, acida vina, bilis, saburra, flatus, vermes, purgantia drastica, deglutitio acutorum asperorumque corporum, calculi, stricturae intestinorum, scirrhus, steatomata, volvulus, incarceratio in herniis, vulnera; aut aliae violentiae externae, refrigeratio, suppressio mensium, lochiorum, haemorrhoidum, habitualium sudorum diarrhoearum, exanthematum, arthritidis, metastasis lactis, omnes animi affectus deprimentes, perpetuus usus metallorum vel directe in ventriculum vim exercentium, vel indirecte inspiratione aëris, qui dicitur Gas; maxime noxia metalla sunt plumbum, cuprum et arsenicum: quapropter colica venenata morbus hic etiam praecipue obvenit apud pictores et inauratores.

DIAGNOSIS.

Dolor modo major modo minor periodice intrans omnibus speciebus est communis. Colica rheumatica confundi potest

cum enteritide, colica hepatica et renali; ab enteritide autem differt intermissione dolorum, retractione abdominis, a colica hepatica et nephritica, quod in his formis dolor in uno oritur loco et quidem in hepate et regione renum, denique indole urinae. Colica flatulenta obviam venit maximam partem in infantibus, serioribus vitae temporibus invadit individua, quorum systema nervorum abdominalium est perturbatum, et cognoscitur inaequalitate et extensione abdominis, sono tympanitico, flatibus per os et anum decurrentibus. Colica biliosa discernenda est ab hepatitide, colica hepatica et cholera: ab hepatitide discrepat defectu tensionis, et expansionis in hypochondrio dextro; a colica hepatica eo, quod in colica biliosa calculi cystidis tangi non possunt, et quod dolor originem non ducit ex latere dextro; a cholera denique quod et ante et per totum decursum colicae desunt phaenomena biliosa. In ceteris pertractatis speciebus symptomata omnia tam sunt clara, ut aliquid de iis dicere superfluum mihi videatur.

DECURSUS ET EXITUS.

Leviores species colicae, ut catarrhales, rheumaticae, biliosae, verminosae etc. celerem habent decursum, et aegroti maxima ex parte convalescunt, rarius alio morbo corripiuntur, ex. gr. enteritide; graviores autem, ut colica flatulenta, nonnunquam dies aut menses perdurare possunt; exitus est aut reconvalescentia, aut enteritis, aut tympanitis, aut volvulus; malum plerumque lethalem habet exitum. Colica est vitiis organicis enata, saepissime rapide ad finem perducitur gangraena intrante. Colica venenata denique longius perseverare

potest, et exitus est aut reconvalescentia totalis vel partialis, paralysis vel enteritis, aut mors provocata tabe sic dicta metallica.

PROGNOSIS.

Prognosis in colica nititur intima aestimatione naturae ipsius, vehementia, perseverantia, et accurata dijudicatione accommodationeque causarum ad singulos casus. Boni ominis est, si sympathici dolores vel spasmi mitiores fiunt et evanescunt, si alvi depositio intrat, pulsus febrem non indicat, lingua mollis et humida, cutis tractabilis, urina normalis aut sedimento parco praedita apparent, et si secretiones suppressae denuo redeunt; mali contra, si paroxysmi in longum temporis spatium protrahuntur, alvus obstinate clausa, pulsus debilis, vix tangendus reperiuntur, facies mutatur, extremitates frigidae fiunt, volvulus vel incarceratio, spasmi vel convulsiones intrant; in biliosa, si magna copia bilis secernitur, si febris adaugetur; in venenata, si spasmi pectoris et extremitatum animadvertuntur, macie valde progressa, si mutatio characteristica cutis haud deest, aut si adest jam paralysis et tabes metallica.

CURA.

In curandis diversis speciebus colicae, ratio praecipue habenda non solum causarum occasionalium, sed etiam status morbi ab iis procreati, colicae obnoxii vel eam comitantis. In universum tres existunt indicationes:

a. spasmos mitigandi
b. alvum solvendi
c. debilitatem canalis alimentarii, si restat, curandi.

In levioribus morbi speciebus jam sufficiunt saepissime alvum solventia, nonnunquam anthelminthica, non raro oleosa, clysmata, aut medicamenta contra flatus, uti infusum menthae vel chamomillae; in gravioribus, si difficile sit causam colicae celeriter removere, et dolores existunt vehementes, cum medicaminibus contra causas conjungenda sunt antispasmodica, interne opium, belladonna, hyoscyamus, externe clysteres antispastici, cataplasmata, balnea, frictiones aromaticae.

Contra colicam rheumaticam multi proposuerunt usum fomentorum frigidorum in abdomen, alii ad provocandam diaphoresin irritationem systematis vasorum sanguiferorum infuso florum sambucci, chamomillae, alii denique usum tincturarum, naphtharum etc.; omnes autem hae medendi rationes, quia saepissime enteritidem evocant, sunt rejiciendae, primae praeferenda sunt cataplasmata ex speciebus aromaticis, ultimis cataplasmata emollientia, aut balnea calida cum aromaticis praeparata. In colica flatulenta sordes forsan praesentes mitibus oleosis seu clysmatibus removendae, frictiones abdominis, interne infuso anisi vel menthae adjuvandae. In colica plethorica in robustis venaesectio instituenda, aut hirudines applicandae.

In colica ex calculis hepatis vel renum provocata, conjungenda medicamina antispasmodica cum calculos solventibus;

commendantur antimonialia, sapo, aqua calcis cum sero lactis, mixtura secundum Durande ex ℥j olei terebinthinae et ℥jj aether. sulphurici, acidum nitricum, muriaticum, potio Riveri. Ad colicam infantum removendam multum prosunt, calor aequabilis, clysmata, interne usus infus. chamomillae; si dolores alvusque obstipa permanent, applicatio hirudinum in abdomen et interne singulae doses hydrargyr. muriatic. mitis non parvi sunt momenti; majore in gradu mali, si vomitus continuus, abdominis sensibilitas et febris non recedunt, apponantur hirudines et cataplasmata necesse est, neque praetermittenda balnea calida cum speciebus aromaticis parata. Wendt laudat etiam, si morbus chronici speciem refert cautum usum unguenti opiati in hac compositione:

Rcp. Unguent. rosat.
Olei Nucistae aa ʒβ
Mixtur. oleos. balsam. ℥j
Tinctur. opii. simpl. ♃j
MD. ad vasculum.

In colica venenata operam demus, ut venenum, si haud diu in corpus incesserit, emeticis et alvum ducentibus, e. c. oleo ricini, infus. sennae removeatur; praeterea tollendae sunt veneno prolatae in singulis intestinis spasmodicae contractiones et stricturae, simulque evacuatio hac ex causa retentarum sordium provocanda. Ad haec efficienda aptissima sunt: interne opium, belladonna, hyoscyamus, externe cataplasmata narcotica et emollientia, balnea, clysmata. In nonnullis casibus egregiam opem afferre potest a Burgero commendata com-

positio opii cum hydrargyr. muriatic. miti; minus aptus est usus aloës vel jalappae. Sublato morbo si adsunt mala paralytica, adhibenda sunt interne camphora, externe liniment. volatil. c. camphora, vinum, balnea, vel inunctiones hydrargyr. cum camphora neque vesicantia sunt negligenda. In colica saturnina principalia antidota nonnulli magnesiam sulphuricam et natrum sulphuricum statuunt; sed quia plumbum solito sensim sensimque in organismum, ut ita dicam, transit, neque his medicaminibus adhibitis amplius in ventriculo inveniri potest, plus prodesse videntur eo, quod exsiccationem et alvi stipationem a plumbo excitatam impediunt.

Ceterum ne convalescentes ex colica in recidivam incidant providendum est, atque regimen commendandum, in singulo quoque casu idoneum ad sequelas morbi tollendas: saepissime effici hoc potest apta junctione methodi sedantis cum roborante et carminativa, atque respondente diaeta stricta.

VITA.

Natus sum Vincentius Cunow, fidei catholicae addictus, die XXI Januarii anno MDCCCXVIII, oppido Magniducatus Posnaniensis Sierakow, patre Carolo et matre Susanna e gente Andrzejewicz. Primis litterarum elementis domi et in scholis publicis imbutus, Gymnasium ad St. Mariam Magdalenam Posnaniense, quod sub Cel. Dir. Stoc tum florebat, frequentavi, ibique per annos octo ad studia humaniora incubui. Cum testimonio maturitatis dimissus, anno MDCCCXXXVIII Almam Universitatem Vratislaviensem adii, ubi ab Ill. Abegg, tum temporis fasces academicos tenente, in numerum civium academicorum receptus, apud Ill. Dr. Otto, gratiosi medicorum ordinis t. t. Decanum Spectatissimum, nomen rite sum professus. Per semestria septem hisce interfui praelectionibus: Ill. Benedict de chirurgia generali ac speciali, de akiurgia, de ophthalmiatrice, de methodo fascias rite applicandi, de instrumentis chirurgicis; Ill. Betschler de arte obstetricia et

de operationibus obstetriciis; Cel. Burchard de operationibus obstetriciis in phantomate; Cel. Branis de logice et psychologia; Ill. Fischer de chemicis; Ill. Glocker de mineralogia; Ill. Gravenhorst de zoologia; Ill. Henschel de encyclopaedia et methodologia medica; Ill. Nees ab Esenbeck de botanice universali; Ill. Otto de anatomia corporis humani, comparata et pathologica, de sectione forensi, qui idem dux mihi fuit in arte cadavera secandi per duo semestria; ut Ill. Goeppert in excursionibus botanicis; Ill. Pohl de physicis; Ill. Purkinje de physiologia hominis, de pathologia morborum mentis; Ill. Remer sen. de apyrexiis materialibus ac dynamicis, de haemorrhagiis, de arte formulas medicas concinnandi; Ill. Wendt de febribus et inflammationibus, nec non de morbis psychicis.

Clinicis scholis interfui chirurgicis ophthalmiatricis, medicis et obstetriciis Ill. Benedict, Remer sen. et Betschler.

Anno 1841 hanc almam litterarum Universitatem petii et ab Ill. Dieterici, t. t. Rectore Magnifico, inter cives academicos receptus, ab Ill. Juengken, t. t. Decano Spectatissimo, facultati medicae adscriptus sum. Disserentes audivi: Ill. Hecker de historia medicinae; Ill. Wagner de medicina forensi. Exercitationibus clinicis interfui medicis Ill. Schoenlein, Cel. Wolff; chirurgicis Ill. Juengken, Ill. Dieffenbach; morborum syphiliticorum Beat. Kluge.

Quibus viris Illustrissimis, Doctissimis, cum tentaminibus, tam philosophico quam medico, atque examine rigoroso absolutis in eo sim, ut summa in medicina et chirurgia honores capessam, gratias ago quam maximas.

THESES.

1. Remedium sic dictum absolute abortivum in materia medica deest.
2. In curanda Hydrocele incisio praeferenda est punctioni.
3. Venenum inter medicamina nullum.
4. Pulsus ad cognoscendos morbos signum minus certum quam haberi solet.
5. In angina membranacea fracta phlogosi demum emetica adhibenda sunt.